



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptvra, Et Vera Catholica
Doctrina, Atqve Observatione Vniuersalis Christianæ
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

Bucer, Martin

Genevae, 1613

De consuetudine interrogandi de nomine Infantis. 54

urn:nbn:de:hbz:466:1-34315

Ecclesia conuenire solet, & ad eiusmodi diuinas actiones, aptior est, nec non in peculiari presentia probatorum Christianorum administratur. Id quod antiquæ obseruationi consentaneum est, qua S. Baptismus bis tantum in anno, nempe in festo Paschatis & Pentecostes ministrabatur, hanc solam ob causam, vt hæc actio tantò maiore cum solennitate, ac religione populi perageretur. Huic ordinationi ex diametro repugnat, quod Baptismus omnibus temporibus atque etiam nonnunquam cum homines benè poti sunt, & vix vno aut altero presente, imò interdum talibus hominibus, qui apud nullam eiusmodi actionem tolerandi sunt, administratur.

Sic quod ordinauimus, vt omnes actiones S. Baptismatis summa reuerentia & religione tractentur, vniuersa fides Christiana quàm diligentissimè & clarissimè explicetur, huiusque sacramenti mysteria, perspicuè exponantur, quò omnium astantium, & totius Ecclesiæ fides, in Dominum nostrum Iesum Christum confirmetur ac prouehatur ad fructum pietatis, id sanè ab ipso spiritu S. in omnibus exercitiis Ecclesiasticis, præsertim verò in administratione Baptismatis requisitum est, & à S. Patribus semper hoc modo obseruatum. Quid verò huic simile apud Aduersarios circa Baptismum eorum reperitur, imò verò quid non penitus contrarium ac repugnans? Iudicium esto penes Christianos.

Atque hæc sit generalis defensio libri Reformationis, quantum ad hunc articulum pertinet.

Quò verò ad singulas quoque Aduersariorum obiectiones respondeatur, seruabimus ordinem quem ipsi instituerunt, & ad vnamquamque obiectionem suam propriam responsionem subijciemus.

Prima pars huius Accusationis.

Quomodo de nomine infantis interrogandum sit.

CAP. LIV.

RIMA accusatio est, librum Reformationis antiquam baptizandi consuetudinem in eo violasse, quod non iubet primum omnium, infante ad fores templi allato, de nomine eius interrogare.

Responsio.

IN hac Accusatione prima statim fronte vides Christiane lector, cū eiusmodi culices exiguæ mutationis Aduersarij colorare velint, quãtos verò Camelos omnimodæ peruersionis omnium eorum, quæ Dominus, Apostoli & veteres S. Patres ordinarunt, præceperunt, ac fideliter obseruarunt.

Liber enim iubet de nomine infantis interrogare, idque etiam ante

exorcismum. Quid verò in hoc erratum est? Si Aduersarij & alij operam darent, vt Baptizatorum nomina scripto mandarentur, per quod postea de baptizatis diligenter inquireretur, omnèque studium adhiberetur, vt Christo Domino rectè educarentur, suòque tempore ad publicum Catechismum in Ecclesiam adducerentur: ac postquam aliquid percepissent, ad propriam fidei confessionem, sui que ipsorum in plenam communionem & obedientiam Christi traditionem adhiberentur, hoc demum esset antiquam Ecclesie consuetudinem rectè obseruare. Veteres enim propter hanc solam causam de nominibus baptizatorum interrogarunt, eaque diligenter inscripserunt & obseruarunt. Meminit Dionysius, quòd suis temporibus sacerdotes & baptizandi & patrinorum eius nomina soliti fuerint inscribere.

Vides Christiane lector, de quibus rebus Aduersarij certent. De ædificante vsu & consuetudine interrogandi & dandi nomina, nihil omnino solliciti sunt: sed de eo tantum contendunt. Quando de nomine baptizandi quærendum sit. Sic de inanibus ceremoniis plurimum solliciti sunt, de vero autem & ædificante talium rerum vsu nihil omnino curant.

Altera Pars.

De Exsufflatione.

CAP. LV.



ALTERA Accusatio est de Exsufflatione, nempe quod Baptizans debeat ter Diabolum à puero exufflare, quod signum liber Reformationis prætermisit.

Responsio.

Vsus huius signi peruetustus quidem est, non autem vel à Domino, vel ab Apostolis ordinatus, neque à quoquam vlllo tempore agnitus tanquam necessarius. Quamobrem manet in libera dispensatione Ecclesie, quemadmodum aliæ traditiones humanæ.

In eo quod per illum signum significatur, tota res peadet, nempe vt homines apud Baptismum probè admoneantur, nos omnes sub potestate diaboli natos esse, ab eoque per solum Dominum nostrum Iesum Christum liberari, & bono spiritu fidei omniumque virtutum donari ac perfundi.

Quam significationem S. Patres, Augustinus & Chrysostomus, iis in locis quæ ab Aduersariis citata sunt, clarè proponunt, & testantur. Iam igitur iudicato Christiane Lector, vtri doctrinam istam Ecclesie Christi maiori cum fructu proponant: num hi, qui ipsam claris & ab omnibus intellectis verbis, in tota Ecclesia Christi, ex certo ac manifesto verbo Dei tradunt, explicant & inculcant, idque sine signo exsufflationis, quemadmodum liber Reformationis ordinauit: an verò ij, qui nul-

lum